
382
M
17
1
3








QVÆSTIO
AN
Præter Revisionem, lib. 3. tit. 32. Frisiæ statutorum Revisio Revisionis sit admittenda?
breviter ventilata,

A

MATTHIA à VIERSSEN,
I. C^to. *Supremæ Frisiorum Curiæ Senatore primario.*



Leovardiæ, Typis *Claudij Fontani*, Illustr. Ordin. Frisiæ Typog. 1654.

Illustrissimo ac Celsissimo Domino, Domino,

GUILHELMO FREDERICO,

Principi Nasso-viæ, &c. Guber-natori Frisiæ, Gro-ningæ, Omlandiæ, & Drentiæ, &c.

Magnificentissimo Domino suo Clementissimo.

NOn erubesco hanc Quæstionem vest. Cels. offerre, notum enim est præsente, vestr. Celsit. in Senatu agitatam fuisse, non tamen approbatam; eadem argumenta ore tenus relata sunt, jam typis mandata. Ratio brevitatis est, quia tantum

tum proponere voluì, non ad onerandam vest. Cels. multitudine lectionis, nec avertendam à curis publicis, quæ & dies & noctes animos heroïcos sollicitant auguntque, sed ad impetrandam Patriæ Majestatis decisionem. Hoc si ut libellus supplex à ve-

ſtr. Celſ. æſtimetur, mihi ſufficit, & ego ut amans Patriæ &

Veſtr. Celſit.

Obedientiſſimus,

Idibus Ianuarij, 1654.

M. à VIERSSEN.

No-

Nobilissimis ac Amplissimis

DOMINIS,

Supremæ Curiæ

FRISIORUM

SENATORIBUS,

ET

Patriæ FISCO,

ET

GRAPHIARIO.

HÆC Quæstio, vestr. Amplit. exhibetur, ut judicium interponant, an benè vel malè soluta sit. Non eò tendo, ut vestr. Amplitud. in meam sententiam traham, sed tantum videant, quid defendo, & quibus argumentis utor: Si post hac

hac Revisio Revisionis per modum impetrandæ citationis, sive proponendæ exceptionis, sive defensionis, lite contestatâ in Senatu decidenda, ab Advocatis conjiciatur, libenter ac studiosè, vestr. Ampl. opiniones audiam, & me eò duci sinam, justio-

ſtiora in medium proferentes. Quod ſæpius mihi contigit, ut ego confirmans domi meæ diligentiſſimè mentem meam hâc vel illâ ſententiâ, veſtr. Ampl. judicia tanquam meliora ſecutus fuerim, & verſa vice veſtr. Amplit. meum. Id quidem meritò, nam

ve-

verum Iudicis officium eſt judicando quandoq́; exclamare; Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica veritas mihi eſt: verum, ne videar velle de hac materia veſtr. Ampl. docere, ſubſiſto; tantum rogans, & ſummoperè petens, ut veſtr.

Am-

Amplit. benevolentiâ ac favore fruar,

Donec Spiritus hos regat artus.

Vestræ Amplitud.

Devotissimus Amicus & Collega,

Idibus Ianuarij, 1654.

M. à VIERSSEN.

QVÆ-

QVÆSTIO AN

Præter Revisionem, lib. 3. tit. 32. Frisiæ statutorum Revisio Revisionis sit admittenda?

PRaxis civilis in Frisiâ coram Curiâ superiori & Tribunalibus inferioribus eodem ferè modo

exercetur, ut patet ex libris ſtatutorum ab Ordinibus Patriæ promulgatis, ita tamen ut litigantes ab inferiorum judicum ſententijs, & quocunque gravamine Curiam poſsint appellare, quod cum fiat, ſuſpenditur executio ſententiæ à Iudice inferiori latæ,

ſi

ſi excedat ſummam ducentorum octuaginta Carolinorum; ſed à ſupremo Iudicio appellatio nulli ſupereſt: Nihilominus ne Senatores videantur egiſſe ultra quod commiſſum eſt, prudentiſsimè excogitatum fuit à Patribus Patriæ Reviſionis remedium,

tanquam ſtimulus ſui officij, quod ijs ut ſacerdotibus juſtitiæ demandatum eſt. Attamen ſpatio annorum triginta bis vidi cauſas arduas per Reviſionem Curiæ deciſas, & Reviſionem Reviſionis per citationem conceſſam, ſed non, (quod memini) de-

ci-

cisam vel correctam. Hoc an secundum Patriæ statutum fieri posſit, paucis excutiendum decrevi.

Reviſio itaque ut eam ex statutis Friſiæ deſcribam, est remedium quo pars læſa in ſummâ ad minimum quingentorum Carolinorum libellum ſupplicem

intra biennium Curiæ exhibet, cum expreſsione gravaminum & ad certum diem juridicum partem victricem citari petit, ad exaudiendum introduci gravaminum cauſas, & videndum deponi quinquaginta carolinos ſimul offerendo libellum, quo pe-

tit

tit ſententiam ab il-
luſtriſsimo FriſiæGu-
bernatore & ampliſ-
ſimis Senatoribus ex
ijſdem actis, emen-
dari, vel proceſſum
tam priorem quam
Reviſionis mitti ad
ſexCommiſſarios ab
Ordinum Deputatis,
ſecundum normam
ſtatuti dandos, ut
cauſa numerando
B 4 vota

vota Gubernatoris & Senatorum reſervanda in archivis, cum ſuis, ut pluralitas eorum fert, decidatur. Ex hac deſcriptione & alijs articulis ſub titulo de Reviſione ſatis apparet, Reviſionem Reviſionis locum habere non poſſe.

Primò enim, nulla ejus

ejus mentio fit in ſtatutis Friſiæ ſub titulo de Reviſione, nec alibi in ſtatutorum libris, quod cum non fiat, & ſtatuta ſtructiſſime interpretanda ſint, non licebit Senatoribus aliter explicare & extendere, vel quid addere, quam verba ſonant, imò ad amuſ-

muſſim obſervanda ſunt, ut pluribus ad ſtruit Tiraquellus lib. retrit. Gentil. §. 1. gloſſ. 9. n. 181. & §. 2. gloſſ. 1. n. 15 quamvis non ignorem alios contra municipalium jurium interpretes etiam in ſtatutis admittere argumentum ab identitate rationis, ut

Chaſſ

Chaſſ. in Epilog. ad Conſuetud. Burg. verb. interp. ſecund. ius ſcriptum n. 8. & ſeq. Mol. ad conſ. Pariſ. §. 20. q. 5. n. 47. Argent. ad conſuet. Britann. in præfat tit. de Donat. n. 10. ſunt & alij inter veteres, quos refert Bend. de Reviſ. concluſ. 20. n. 181. Sed de

de eo hic contendere propoſitum mihi non eſt, modo id obtineam, Reviſionem Reviſionis in Patriâ non admittendam, quia Reviſio inſtar ſupplicationis eſt, quæ bis concedi nequit, ut infra octavo argumentis demonſtrabitur.

Secundò, in Titulo

lo

lo de Revisione pro-
ponitur parti læsæ
modus & forma Re-
visionem impetran-
di, processum instru-
endi, prosequendi,
finiendi, & si à Cu-
riâ correctio senten-
tiæ non adhibeatur,
petendi ad Iudices
alios remitti, sicut
titulus de Revisione
declarat. Hic finis

C est,

eſt, & nihil aliud ſupereſt, quam ut ſententia vel corrigatur vel confirmetur, vel pro nihilo ducatur. Quis jam non videt hic tantum agi de Reviſione, & ne hilum quidem oſtendi de Reviſione Reviſionis.

Tertiò, in ipſâ introductione Reviſionis

onis dantur Graphi-
ario Curiæ, vel ob-
ſignantur quinqua-
ginta Carolini, ut
primus articulus ti-
tuli de Reviſione re-
quirit, ac in introdu-
cendâ Reviſione Re-
viſionis, hoc, nec
quid aliud præſcri-
bit, quo non præ-
ſcripto, nihil dan-
dum vel obſignan-

 dum.

dum. Nam in toto jure non reperitur aliquid dari oportere pro incipiendis actionibus, ſive ordinarijs, ſive extraordinarijs, niſi velit quis nominare exactionem ſportularum: Nemo tamen advocatorum Reviſionem Reviſionis inchoare audebit, ni-

ſi

si obsignatis quinquaginta Carolinis (ut vidi factum) non contentorum nudâ declaratione vel solutione sportularum, ut in alijs actionibus fieri solet; unde facilè quis judicabit Revisionem Revisionis in Frisiâ non esse recipiendam.

Quartò, omnibus

actionibus, ſive realibus, ſive perſonalibus, ſive prætorijs, &c. tempus in jure præſcribitur, intra quod quis cogitur agere, imò Reviſioni biennium in ſtatutorum libris: quis jam non dubitabit ad quod temp⁹ Reviſio Reviſionis referenda ſit? Cum ejus nec men-

mentio fiat in toto jure, nec Frisiorum statutis: Non puto tamen ullum advocatorum coram Curiâ Supremâ reperiri, qui elapso biennio à latâ sententiâ Revisionis informare volet Revisionem Revisionis sine timore repulsæ; quod certè absurdum fo-

 ret,

ret, ſi actionem vel remedium extraordinarium (utcunque nominare libet) non præſcripto tempore, ſecundum juris civilis regulas, non inſtituat. Quare non minùs ex hoc argumento, quam ex prioribus concludendum eſt ſententiam hanc firmam & immo-

motam manere.

Quintò, non minus absonum inde redundat, quam ex præcedenti argumento, si permittatur hoc remedium. Nam qui semel concedere potest, quidni bis, ter & ultra sine litium fine? præcipuè si inspiciatur l. 6. ff. de except. rei

ju-

judicat. Ubi ſingulis controverſijs, ſingulas actiones, unumque judicati finem ſufficere, probabili ratione placuit, ne aliter modus litium multiplicatus ſummam atque inexplicabilem faciat difficultatem, maximè ſi diverſa judicarentur. Quod mutato Sena-

tu

tu, imò eodem ma-
mento, contingere
poteſt ex vulgari re-
gula, quod poſteri-
ores cogitationes a-
liquando meliores
cenſeri videantur.
Hic ex uno incon-
venienti multa ſe-
querentur, quod
cum vitandum ſit
potiſſimum in jure,
non video quen-
quam

quam huic opinioni contradicere poſſe.

Sextò, articuli 12. & 13. de Reviſione declarant, quid Gubernatori Friſiæ & Senatoribus agendum ſit latâ ſententiâ, de qua Reviſio impetrata fuit, ſcilicet, quod aut corrigenda ſit ſententia ſi abuſus animadverta-

tatur, aut confirmanda non abuſu reperto: Hoc advocati in concluſionibus ſuis petunt, ut aut corrigatur ſententia, aut uterq; proceſſus mittatur ad Commiſſarios, velut artic. 25. de Reviſione præſcribit. Ad quid hoc fit? ut emendetur ſententia à Commiſ-

ſarijs, vel confirmetur, non facta mentione de Reviſione Reviſionis. Hic jam animadvertere quis non poteſt, niſi cæcutire velit in Patriâ noſtrâ non dari locum Reviſioni Reviſionis.

Septimò, procedit argumentum ab officio Iudicis, quia

co

eo defunctus fuit judicando ad normam in tit. de Revis. datam arg. l. 55. ff. de re judicatâ. Quod si rursus in Revisione Revisionis judicare velit, quid aliud facit, quam non fungi officio suo? Hoc etiam criminosè à Cicerone acti. 3. in Verrem objicitur,

quod ſua decreta ſub inde mutaret. Teſtamento quidem ſemel facto, teſtator ſentẽtiam ſuam corrigere poteſt, & meritò, quia de ſuo diſponit, & ambulatoria eſt voluntas defuncti uſque ad vitæ ſupremum exitum. l. 4. ff. de adimend. & tranſ. leg. in judi-

ce

ce diverſa ratio eſt, quia de alieno diſponit.

Octavò, ratio omnium maxima procedit à ſententia præfecti Prætorio, à quâ non datur appellatio, l. un. §. 1. ff. de off. præf. Præt. l. 17. ff. de minor. l. un. C. de ſent. Præf. Præt. datur verò ſupplicatio

d. l. un. quæ inſtar Reviſionis eſt: Sicut autem à ſententiâ Præfecti Prætorio fas non eſt ſecundò ſupplicare, ut diſertè traditum eſt, in l. ſi quid adverſus 4. C. de Precibus imper. off. ita nec à ſententia in Iudicio Reviſionis latâ. Et ita Andr. Gail lib. 1. obſ. ult.

ult. n. 3. argumentatur, eamque ſententiam corfirmat ex libro 3. ordinationis ſupremi Germanici judicij Spirenſis tit. 53. **im fal aber.** ubi expreſsè Reviſionis Reviſio eſt prohibita. Extat hæc ordinatio inter Receſſus imperij, Germanicè **Reichts ab-ſchep-**

 den.

den. Quod magnus ille I. C. Iohan-Iacobus Wiſſenbach, Franeceræ Iuris Profeſſor Primarius, mihi ſuppeditavit & perſcripſit. Hic præfulget exemplum imperatoriæ Majeſtatis ad imitandum, quę Reviſionem Reviſionis ab imperio ſuo amovit. Quid

ob-

obſtat quo minùs i-
dem Patres Patriæ
faciant?

Nonò & ultimò,
cum Reviſio Revi-
ſionis de novo inſti-
tuatur, concluſio ab
Advocatis conci-
piatur, & litis conte-
ſtatio fundetur, præ-
ter jus civile & edi-
cta Patriæ, non poſ-
ſunt Senatores in eo
quid

quid ſtatuere, quia iſtiuſmodi poteſtas ijs conceſſa non eſt, & Senatus conſulta jam ceſſant, ſed Ordines Patriæ hoc ſibi reſervarunt, qui legibus armati ſoli juris rogandi, & abrogandi habent autoritatem.

His ita breviter examinatis, nil aliud

re-

reſtat in hâc materiâ, quam ut Ordinibus hæc interpretatio concedatur, vel nova promulgatio ab ijs petatur, ſi Senatus Curiæ è re ſubditorum eſſe judicaverit, ſecus ſi fiat, erit inutilis labor ineptiarum.

FINIS.